



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bonis Operibus Docto. Martini Lutheri Liber

Luther, Martin

Vuittemberge, 1521

VD16 L 7151

Quarto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33333

nam deus Genesis, 7 In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et Job, 8.
Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. Atqui sicut aves vola-
lant sine cura, solitudine, & avaritia, ita nos decet laborare sine cura &
cupiditate. Si vero curas, aues, & cupis vt tibi allatus gallinæ pullus in
os deuolet, cura & sollicitare, respiciens an dei præcepta implere, & beatus
fieri possis.

TERTIO.

Exercitium
fidei in hoc
præcepto.

¶ Hoc opus per se docet fides ipsa. Nam corde sibi persuadente se
deum habere clementem & propitium, & eo nititur, quomodo est pos-
sibile vt ille sollicitus & avarus esse debeat? Necessè enim est vt a deo
suscipiatur defendendus, Ideo in nulla heret pecunia. Sed ea vitur, his-
lari liberalitate, ad proximi vtilitatem, sciens sese satis habiturum, quan-
tumcumq; distribuat & largiatur. Nam deus eius, cui confidit, ei non
mentitur, eum non deseret. Vt est in psalmo. xxxvi. Etenim iuuenis
fui, & senui, & nunq; vidi iustum (id est fidelem & in deum confidens
tem) derelictum, nec semen eius querens panem. Ideo Apostolus nul-
lum aliud peccatum nominat idololatriam q̄ avaritiam vt se ipsam cras-
sissime prodentem, quod deo nihil confidat, plus sibi de pecunia sua q̄
de deo boni persuadens, per quam fiduciam deus, vt dictum est, vere vel
honoratur, vel ignominia afficitur. Et reuera in hoc præcepto clare pos-
test deprehendi, quam omnia bona opera oportet in fide & proficisci &
fieri. Nam hic vnusquisq; mira certitudine sentit, causam vt liberalitas
tis esse fiduciam, ita avaritiæ incredulitatem. Siquidem quod deo con-
fidit liberalis est, nihil dubitans se satis semper habiturum. Et ediuerso
ideo avarus & sollicitus est, quod deo non confidit. Sicut ergo fides in
hoc præcepto, magister & agitator boni operis est liberalitatis, ita idem
est opifex & in reliquis omnibus alijs præceptis. Adeo vt sine huius-
modi fide nulla possit liberalitas, sed magis temeraria sit pfusio pecuniæ.

Q VARTO.

Bene faciens
dū inimicis.

¶ Circa hæc etiam scitur dignum est, hanc liberalitatem & beneficentiam
prorogandam & extendendam esse etiam vsq; ad hostes & aduersa-
rios. Quid enim hoc sit beneficentiæ, si tantum erga amicos simus libe-
rales: vt CHRISTVS Lucæ, 6. docuit. Vitur enim eadem etiam
malus homo in suum amicum. Sed & muta animalia sui generis ani-
mantibus bene faciunt & liberalia sunt. Ergo homini Christiano sub-
limius cogitandum est, ita vt eius beneficentiæ & liberalitas etiam imme-
ritis, malefactorib; inimicis, & ingratis seruiat, & exemplo patris sui co-

lestis, permittat solem oriri super bonos & malos, & pluere super gratos
& ingratos. Hic quoque inuenias quam difficile sit bona opera post dei
praecepta facere, quam hic sese natura obliquet, reflectat & insinuet, etsi
sua electitia bona opera facile & libenter faciens. Ita proponit tibi tuos
inimicos & ingratos, bene de eis merens. Sic enim inuenies quam vel
vicinus vel semotus huic sis praecepto, & quantum sis negotiorum ha-
biturus perpetuo vitae tuae tempore, vel in huius unius praecepti opere.
Nam nisi inimico siue hosti tuo te indigenti opem tuleris, nisi eum in
eius necessitate adiuueris, si possis, perinde est ac si ei furatus fueris. Debu-
isti enim ut eum iuuares. Ita dicit sanctus Ambrosius. Ciba esuri-
entem, si enim eum non cibus, occidisti, quantum in te est. In hoc igitur
praecepto pendent opera misericordiae, quae CHRISTVS in die extre-
mo exiget. Curandum tamen esset principibus & ciuitatibus, ut diua-
gatores, fratres Iacobini, & id genus reliqui mendici peregrini tolleren-
tur, inhiherenturque, vel saltem modo & moderatione & ordine aliquo
admitterentur, ne eiusmodi nebulonibus sub nomine mendicitatis er-
rores, officinae, & imposturae, quarum iam multae sunt, permitterentur.
Copiosius enim de operibus huius praecepti in sermone de V. fura dixi.

K ij

Ambro. sen-
tenti. Non
cibus, occi-
disti.